

neq. ignoscet sceleribus vestris, atque peccatis. Si dimiseris Dominum, & servieris diis alienis, convertet se, & affliget vos, atque subvertet. Docendum autem populus est, comminationis pœnam ad tertiam, quartamque impiorū, & facinorosorum generationem pertinere; non quod posteriores majorum scelerum pœnas semper luan; sed licet illi, liberi que eorum impune tulerint, non omnis tamen eorum posteritas iram Dei, pœnamque vitabit; quod Josie regi accidit: huic enim, propter singularem pietatem, cum pepercisset Deus, dedissetque, ut in pace in sepulcrum majorum suorum inferretur, ne videret consequentium temporum mala, quæ, propter Manassis avi impietatem, Jude, & Hierusalem erant eventura; eo mortuo, posteros ejus est ultio Dei consecuta, sic, ut ne filius quidem Josie pepercit. Qua autem ratione hæc legis verba sententia illi, quæ est apud Prophetam, non adversentur; Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur; Sancti Gregorii auctoritas, cum reliquis omnibus antiquis Patribus consentiens, aperte ostendit, ait enim: Quisquis pravi parentis iniquitatem imitatur, etiam ex ejus delicto constringitur: quisquis autem parentis iniquitatem non imitatur, nequaquam delicto illius gravatur; unde fit, ut iniquus filius iniqui patris non solum sua, quæ addidit, sed etiam patris peccata persolvat: cum vitium patris, quibus iratum Dominum non ignorat, etiam suam adhuc malitiam adjungere non formidat: & justum est, ut qui sub districto iudice vias parentis iniqui non timet imitari, cogatur in vita

2. Par.
34. &
35.

4. Reg.
21.

Ezech.
18.

S. Gre.
gor.

presenti, etiam culpas parentis iniqui persolvere. Commemorabit deinde Parochus, quantum Dei iustitiam superet ejusdem bonitas, ac misericordia: irascitur tertie, quartæque generationi Deus, misericordiam verò in millia imperit. In eo autem, quod dictum est; Eorum, qui oderunt me; peccati magnitudo ostenditur. Quid enim flagitiosius, ac detestabilius, quam summam veritatem odisse? Hoc verò ad omnes peccatores idcirco pertinet, quòd quemadmodum qui habet mandata Dei, & servat ea, Deum diligit; ita qui legem Domini contemnit, & mandata ejus non servat, Deum odisse merito dicendus est. Quod verò extremum est, Et iis, qui diligunt me, servandæ legis modum, ac rationem docet: necesse est enim, eos, qui legem Dei servant, eadem charitate, atque amore, quo in Deum sunt, ad ejus obedientiam adducit: quæ deinceps in singulis præceptis commemorabuntur.

NON ASSUMES NOMEN DOMINI DEI TUI IN VANUM.

Quamquam primo divine legis præcepto, quo Deum pie, sancteque colere jubemur, hoc, quod secundo loco sequitur, necessarii continentur; (nam qui sibi honorem tribui vult, idem postulat, se ut summo verborum honore prosequamur, prohibetque contrariis, quod & illa Domini apud Malachiam verba aperte indicant; Filius honorat patrem, & servus Dominum summi: ergo Pater ego sum, ubi est honor meus?) Deus tamen pro rei magnitudine, hanc de suo ipsius divi-

Exod.
20.

Joan.
14.

Malac.

divino, & sanctitatis plenissimo nomine honorando, legem separatim ferre, idque nobis disertis, & perspicuis verbis prescribere voluit; quod sanè Parochio ipsi argumento in primis esse debet, nequaquam satis fore, si hæc de re generatim loquatur; sed ejusmodi locum hunc esse, in quo ipse diutius commorari, & quæcumque ad hanc tractationem pertinent, distinctè, dilucidè, accuratèque apud fideles explicare necesse sit. Neque verò nimia hæc diligentia censenda est; cum non desint, qui adeo errorum tenebris obæcati sint; ut, quem Angeli glorificant, ei maledicere non vereantur; neque enim lege semel lata deterrentur, quò minus Dei majestatem quotidie immutare, immò singulis penè horis, ac momentis impudentissimè audeant. Quis enim non videat, omnia jurejurando affirmari? omnia imprecationibus, & execrationibus referta esse? usque adeò, ut nemo ferè vel vendat aliquid, vel emat, vel negotium aliquod gerat, qui non jurisjurandi religionem interponat, Deique sanctissimum nomen millies, vel in re levissima, & inani, temerè non usurpet? Quo major Parochi cura & diligentia adhibenda est, ut sæpè fideles admoneat, quàm grave hoc scelus sit, & detestabile. Jam verò, in hujus præcepti explicatione id primum constet, cum eo, quod lex feri prohibet, earum etiam rerum præceptionem conjunctam esse, quas præstare homines debent: utrumque autem separatim docendum est. Primum quidem, ut ea, quæ tradenda sunt, facillius exponantur, quid jubeat lex; mox etiam quid vetet; nam

que imperat, illa sunt, nomen Dei esse honorandum, ac per illud sanctè jurandum: hæc rursus, quæ prohibet: Nemo divinum nomen contemnat, nemo illud in vanum assumat, neve per ipsum aut falsò, aut frustra, aut temerè juret. In ea itaque parte, quæ jubemur divino nomini honorem tribuere, Parochus fidelibus præcipiat, Dei nomen ipsius inquam litteras, & syllabas, aut omnino per se nudum verbum tantummodo attendendum non esse; sed in eam cogitationem veniendum, quid valeat illa vox, quæ omnipotentem, ac sempiternam majestatem unius & triini numinis significat. Ex his autem facillè colligitur, inanem esse nonnullorum Judæorum superstitionem, qui, quod scriberent Dei nomen, pronuciare non audeant; quasi in quatuor illis litteris, non videat, omnia jurejurando affirmari? omnia imprecationibus, & execrationibus referta esse? usque adeò, ut nemo ferè vel vendat aliquid, vel emat, vel negotium aliquod gerat, qui non jurisjurandi religionem interponat, Deique sanctissimum nomen millies, vel in re levissima, & inani, temerè non usurpet? Quo major Parochi cura & diligentia adhibenda est, ut sæpè fideles admoneat, quàm grave hoc scelus sit, & detestabile. Jam verò, in hujus præcepti explicatione id primum constet, cum eo, quod lex feri prohibet, earum etiam rerum præceptionem conjunctam esse, quas præstare homines debent: utrumque autem separatim docendum est. Primum quidem, ut ea, quæ tradenda sunt, facillius exponantur, quid jubeat lex; mox etiam quid vetet; nam

Quamvis autem multiplex sit ratio laudandi divini nominis, tamen in iis, de quibus deinceps hic dietur, vis, & pondus omnium

*Deus
quibus
laudan-
dus.*

videtur esse. Primum igitur laudatur Deus, cum in omnium conspectu Deum ac Dominum nostram fidenter confitemur, Christumque salutis nostrae auctorem, quemadmodum agnoscimus, ita etiam predicamus. Itemque, cum verbo Dei, quo voluntas ejus enunciat, sanctè, & diligenter operam damus; in ejus meditatione assidue versamur; studiosè illud audisimus, aut legendo, aut audiendo, perinde, ut cujusque persone & muneris aptum, & consentaneum est. Deinde divinum nomen veneramur, & colimus, cum officii, & religionis causa, divinas laudes celebramus, ac de omnibus rebus tum prosperis, tum adversis illi singulares gratias agimus; ait enim Propheta: Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus. Extantque plurimi David psalmi, quibus egregia quadam erga Deum pietate illius divinas laudes suavissimè decantat. Extat admirabile illud patientiæ exemplum Job, qui cum in maximas illas, horribilesque calamitates incidisset, Deum tamen excelsò, & invicto animo laudare nunquam intermisit. Nos itaque cum animi, corporisque doloribus cruciamur, cum miseris, & ærumnis torquemur, statim ad Deum laudandum omne studium, & animi nostri vires convertamus, illud Job dicentes; Sit nomen Domini benedictum. Neque verò minus Dei nomen honoratur, si fidenter open ejus imploramus, quo scilicet aut nos ab illis liberet, aut ad eadem fortiter perierenda constantiam, & robur largiatur: hoc enim fieri vult Dominus; Invoca, inquit, me in die tribulationis: eruam te,

*Psalm.
49.*

Job 1.

*Psalm.
102.*

& honorificabis me; cujus implorationis cum multis aliis in locis, tum præcipuè in psalmis, 16. 43. & 118. illustria reperiuntur exempla. Præterea, Dei nomen honore prosequimur, cum fidei faciendæ causa testamur Deum: qui modus à superioribus valdè differt. Nam quæ supra enumeravimus, ita suapte natura bona sunt, atque expectanda, ut nihil beatius, nihil homini optabilius possit esse, quam si in illis sedulo exequendis se ipsam dies, noctesque exerceat. Benedicam, inquit David, Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo. At, jusjurandum licet bonum sit, ejus tamen frequens usus minimè est laudabilis. Hujus autem discriminis ratio in eo posita est, quòd jusjurandum ea tantum de causa institutum est, ut esset tamquam remedium quoddam humanæ imbecillitatis, & ad probandum, quod dicimus, necessarium instrumentum. Ut enim corpori medicamenta adhibere non expediat, nisi necesse sit; eorundem verò frequentatio perniciosa omninò est: ita etiam, nisi cum gravis & justa causa subest, jurejurando uti non est salutare: quod si sæpius adhibeatur, tantum abest, ut prosit, ut magnum detrimentum afferat; quamobrem præclare docet S. Chrysostomus, non nascente, sed jam adulto muado, cum mala longè latèque propagata universam terrarum orbem occupasset, nihilque suo loco & ordine consisteret, sed perturbata & permixta omnia, sursum, deorsum, magna rerum confusione, ferrentur; & quod malorum omnium gravissimum est, mortales ferè omnes in fœdam idolorum servitutem se ipsos

*Psalm.
33.*

*S. Cry-
sost.*

*Jurare
quid va-
leat
apud
scriptu-
ras.*

ipsos abjecissent, tum denique longo sanè intervallo jusjurandum in hominum consuetudinem irrepisisset; nam cum in tanta hominum perfidia, & iniquitate nemo facile ad credendum adduceretur, Deum testem invocabant.

Verùm cum in hac præcepti parte præcipua sit illa ratio docendi fideles, quo modo jusjurandum pie, sanctèque adhibere debeant: primum dicendum est, JURARE nihil aliud esse, nisi Deum testari, quacumque id verborum forma, & conceptione fiat: nam & Testis est mihi Deus, & Per Deum, idem sunt. Est etiam illud jusjurandum, cum ad faciendam fidem per res creatas juramus, ut, Per Sacra Dei Evangelia, Per Crucem, Per Sanctorum reliquias, & nomen, & cætera id genus; neque enim hæc ipsa per se jurejurando auctoritatem, aut robur aliquid afferunt; sed Deus ipse hoc præstat, cujus divini majestatis splendor illis in rebus effulciscit: ex quo sequitur, ut per Evangelium jurantes, per Deum ipsum jurent, cujus veritas Evangelio continetur, & declaratur; similiter & per Sanctos, qui templa Dei sunt, quique Evangelicæ veritatis crediderunt, eamque omni observantia coluerunt, & per gentes, & nationes latissimè disseminarunt. Eadem ratio est illius jurisjurandi, quod per execrationem profertur: quale est illud Sancti Pauli; Ego testem Deum invoco in animam meam. Etenim hoc pacto aliquis Dei judicio tamquam mendacii ultiori subicitur. Neque propterea negamus nonnullas ex hisce formulis ita accipi posse, quasi jusjurandi vim non habeant: sed ta-

*2. Cor.
x.*

men utile est, quæ de jurejurando dicta sunt, in his etiam servare, atque ad eandem prorsus normam & regulam dirigere. Duo autem sunt jurandi genera, primum quidem, quod assertorium appellatur, nimirum cum aliquid de re præsentis, aut præterita religiosè affirmamus, ut Apostolus in Epistola ad Galatas; Ecce coram Deo, quia non mentor. Alterum verò promissorium dicitur, ad quod etiam comminationes referuntur, futurum tempus spectans, cum aliquid ita fore pro certo pollicemur, & confirmamus: cujusmodi est illud Davidis, qui Bersabæ conjugi, jurans per Dominum Deum suum, promisit Salomonem, ejus filium, regni hæredem fore, atque in ipsius locum successurum. Verùm enimverò licet ad jusjurandum satis sit, Deum testem adhibere; tamen, ut rectum, sanctumque sit, multo plura requiruntur, que sunt diligenter explicanda; ea verò breviter, teste Divo Hieronymo, Hieronimus enumerat, dum inquit: Jurabis, Vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in justitia. Quibus sanè verbis illa breviter summative complexus est, quibus omnis jurisjurandi perfectio continetur, veritatem, inquam, judicium, & justitiam. Primum itaque in jurejurando locum veritate habet, nimirum ut, quod assertur, & ipsum verum sit, & qui jurat, id ita esse arbitretur, non quidem temerè, aut levi conjectura adductus, sed certissimis argumentis. Alterum verò jurisjurandi genus, quo aliquid promittimus, eodem planè modo veritatem requirit; nam qui aliquid pollicetur, ita animatus esse debet, ut, cum

Gal. 1.

*3. Reg.
1.*

*S. Hieron.
Hierem
4.*

tem.

tempus advenerit, id re ipsa prætet, & promissum exolvat; neque enim vir probus id unquam se facturum recipit, quod sanctissimis Dei præceptis, & voluntati adversari putet: sed quidquid promittere, & jurare licuerit, id semel promissum nunquam mutabit; nisi fortasse, commutata rerum conditione, tale esse inceperit, ut iam, si fidem servare, & promissis stare velit, Dei odium & offensionem subiret. Veritatem autem jurejurando necessariam esse, David quoque indicat illis verbis; Qui jurat proximo suo, & non decipit. Sequitur secundum loco judicium: neque enim jurejurando temerè, & inconsideratè, sed consultò, & cogitatò adhiberi debet. Itaque juraturus, primùm quidem consideret, utrum necessitate cogatur, necne; remque totam accuratè expendat, an ejusmodi sit, ut jurejurando indigere videatur. Tempus præterea spectet, locum attendat, aliæque permuta, que rebus adjuncta sunt, circumspiciat; non odio, non amore, aut animi perturbatione aliqua impellatur, sed ipsius rei vi, & necessitate: etenim, nisi hæc consideratio, & diligens animadversio antecesserit, sanè jurejurandum præceptis, & temerarium erit; cujusmodi est illorum irreligiosa affirmatio, qui in relevissima, & inani, nulla ratione, aut consilio, sed prava quadam consuetudine jurant: id verò passim quotidie à venditoribus, & emptoribus fieri videmus; nam illi, ut quamplurimò vendant, hi rursus, ut quamminimò emant, res venales vel laudare, vel vituperare jurejurando non dubitant. Cum itaque judicio, & prudentia opus sit;

Psalm.

14.

pueri verò ita acutè perspicere, ac distinguere nondum per ætatem possint: idecirò constitutum est à S. Cornelio Pont. ne à pueris ante pubertatem, hoc est, ante xiv. annum jurejurandum exigatur. Reliqua est justitia, que maxime in promissis requiritur: quare si quis injustum aliquid & inhonestum promittit; & jurando peccata, & promissis faciendæ scelus scelere cumulât; extat hujus rei in Evangelio exemplum Herodis regis; qui temerario jurejurando obstrictus, puellæ saltatrici caput Joannis Baptistæ, tamquam saltationis præmii, dedit. Tale etiam fuit Judæorum jurejurandum, qui se ipsos, ut est in Actis Apostolorum, ea conditione devoverunt, nihil gustaturos, donec Paulum occidissent. His ita explicatis, nulla planè dubitatio relinquatur, quin illi tutò jurare liceat, qui hæc omnia servaverit, quique hisce conditionibus, tamquam præsidiiis quibusdam, jurejurandum munitur. Sed & multis argumentis id probare facile est: nam lex Domini, que immaculata est, & sancta, hoc præcepit. Dominum, inquit, Deum tuum timebis, & illi soli servies, ac per nomen illius jurabis: & à Davide scriptum est; Laudabuntur omnes, qui jurant in eo. Præterea sacre littere indicant, ipsa Ecclesie lumina, sanctissimos Apostolos, jurejurando nunquam usos esse: idque ex Apostoli Epistolis apparet. Adde, quòd & Angeli ipsi interdum jurant: nam à Sancto Joanne Evangelista in Apocalypsi scriptum est, Angelum jurasse per viventem in sæcula: quin etiam & Deus ipse jurat, Angelorum Dominus: & in veteri

Marc.

6.

Act. 21.

Psalm.

18.

Deuter.

6.

Psalm.

62.

Apost.

10.

Hebr. 6.

veteri

veteri testamento multis in locis Deus promissiones suas jurejurando confirmat, ut Abrahæ, & Davidi, qui illud de Dei jurejurando prodidit: Juravit, inquit, Dominus, & non pœnitabit eum: tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Neque verò obscura est ratio ad explicandum, cur jurejurandum laudabile sit, si quis attentius totam rem consideret, & ipsius ortum, & finemque intueatur. Etenim jurejurandum à fide originem ducit; qua homines credunt Deum totius veritatis esse auctorem, qui nec decipi unquam possit, nec alios decipere; cujus oculis nuda sunt omnia, & aperta, qui denique universis rebus humanis admirabili providentia consulit, mundumque administrat. Hac igitur fide homines imbuti, Deum veritatis testem adhibent; cui fidem non habere, impium, ac nefarium erit. Quod verò ad finem attinet, eò tendit jurejurandum, atque id omnino spectat, ut hominis justitiam, & innocentiam probet, finemque litibus, & controversiis imponat; quod etiam Apostolus in Epistola ad Hebræos docet. Neque huic sententiæ verba illa Salvatoris nostri apud Sanctum Matthæum repugnant: Audistis, quia dictum est antiquis: Non jurabis: reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cælum, qui thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum pedum ejus: neque per Hierosolymam, quia civitas est magni regis: neque per caput tuum juraveris; quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem sermo vester, est, non, non:

Gen. 22.

Exod.

23.

Psalm.

109.

Hebr. 4.

Hebr. 6.

Matth.

5.

quod autem his abundantius est, à malo est. His enim verbis jurejurandum generatim, universque damnari, non est dicendum; cum jam supra viderimus, Dominum ipsum, Apostolice frequenter jurasse: sed perversum Judæorum judicium redarguere Dominus voluit, quo sibi in animum induxerant, nihil in jurejurando cavendum esse, rebus mendacium: itaque de rebus levissimis, & nullius momeati, & ipsi jurabant sepiissime, & ab aliis jurejurandum exigebant. Huic morem Salvator reprehendit, atque improbat, docetque omnino à jurejurando abstinendum esse, nisi id flagitet necessitas: nam propter humanam imbecillitatem jurejurandum institutum est, & revera à malo venit: quandoquidem aut jurantis inconstantiam indicat, aut illius, cujus causa juramus, contumaciam, qui, ut credat, aliter adduci non potest. Sed tamen jurandi necessitas excusationem habet. Et quidem, dum inquit Salvator: Sit sermo vester, est, est, non, non, hæc loquendi formula satis declarat, se jurandi consuetudinem in colloquiis familiarium, & levium rerum prohibere; quamobrem illud præcipit à Domino admonetur, ne faciles nimium & propensi ad jurandum simus: idque sæculò docendum erit, & fidelium auribus inculcandum: infinita enim ferè mala ex nimia jurandi consuetudine emanare, & sacrarum litterarum auctoritate, & sanctissimorum Patrum testimoniis comprobatur. In Ecclesiastico scriptum est: Jurationi non aurescat os tuum, multi enim casus in illa. Item: Vir multum jurans, implebitur ini-

Matth.

9.

Eccles.

23.

D. August.

iniquitate, & non discedat à domo illius plagæ. Plura hæc de re legi possunt apud Sanctos Basilium & Augustinum in libris contra mendaciam. Et hæcenus de jussis, nunc de vetitis dicatur.

Quando, & sub quibus penis juramentum prohibetur.

Vetatur divinum nomen in vānum assumere: apparet enim, eum gravi peccato se obstringere, qui non consilio, sed temeritate ad jurandum fertur. Gravissimum autem delictum hoc esse, illa etiam verba declarant: Non assumes nomen Dei tui in vānum; quasi rationem afferret, cur hoc facinus scelestum ad eum, ac nefarium sit: nimirum propterea quod ejus majestas minuitur, quem nos Deum & Dominum nostrum esse profiteamur. Hoc igitur præcepto prohibetur, ne homines falsum jurent; nam qui à tanto scelere non refugit, ut Deum falsò testetur, hic insigne Deo injuriam facit, quippe qui aut illi inscitie notam inurit, dum ipsum alicujus rei veritatem latere arbitratur, aut certè improbitatis, & pravi affectus, qui mendacium testimonio velit confirmare. Jurat autem falsò non is solum, qui, quod falsum scit, verum esse jurando affirmat; sed ille etiam, qui jurejurando id asserit, quod cum verum sit, tamen ipse falsum putat, nam cum mendacium sit, quod contra mentem, & animi sententiam profertur; perspicuum est, hunc plane mentiri & perjurum esse. Simili quoque ratione pejerat, qui id jurat, quod verum existimat, & tamen re vera falsum est: nisi, quantum potuit, curam, & diligentiam adhibuerit, ut totam rem compertam, atque exploratam haberet; quamvis enim ipsius oratio menti con-

sentiat, tamen hujus præcepti reus est. Eisdem verò peccati reus censendus est, qui se aliquid jurejurando facturum promittit, cum tamen aut promissum implere in animo non fuerit: aut, si fait, quod promissit, re ipsa non præstat: quod etiam ad eos pertinet, qui cum se voti sponsione Deo obligarant, non præstant. Præterea in hoc præceptum peccat, si desit justitia, quæ ex tribus jurisjurandi comitibus una est. Itaque si quis juret se peccatum aliquod mortiferum commissurum, exempli causa, eadem hominis, hujus præcepti reus est, licet ille serio, atque ex animo dicat, & jurandum veritatem habeat, quæ primo loco requiri declaravimus. His adjungi debent illa jurandi genera, quæ à contemptu quodam profisciscuntur, cum quis jurat se non obtemperaturum Evangelicis consiliis: cujusmodi sunt, quæ ad calibatam, & paupertatem hortantur, quamvis enim nemo ea necessario sequi debeat: si quis tamen juret, non se illis parere consiliis, is eo jurejurando divina consilia contemnit, & violat. Præterea, hanc legem is violat, & judicio peccat, qui, quod verum est, jurat, idque ita se habere existimat, levibus quibusdam conjecturis adductus, & longè petitis; nam etsi hujusmodi jusjurandum veritas comitatur, subest tamen aliquo modo falsum: nam qui sic negligenter jurat; in magno pejerandi periculo versatur. Falsò præterea jurat, qui per falsos deos jurat: quid enim est à veritate alienius, quàm mendaces & fictitios deos, tamquam verum Deum, testari? Verum quoniam scriptura, cum perjurium inter-

Levit.
49.

interdixit; inquit: Nec pollues nomen Dei tui; neglectio prohibetur, quæ fugienda est in reliquis, quibus ex hujus præcepti auctoritate honor debetur: quale est verbum Dei, cujus majestatem non solum pii, sed interdum etiam impij reverentur, ut in Judicium historia de Eglon Moabiturum Regem memorie traditum est. Dei autem verbum summa injuria afficit, quicumque Sacram Scripturam à recta, & germana ejus sententia ad impiorum dogmata, & hereses flectit: cujus sceleris admonet non Principes Apostolorum verbis illis: Sunt quedam difficulta intellectu, quæ inducti, & instabiles depravant, sicut & ceteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem. Præterea fœdis, & inhonestis maculis Sacra Scriptura contaminatur, cum ejus verba, & sententias, quæ omni veneratione colenda sunt, ad profana quæque nefarii homines torquent, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, assentationes, detractiones, sortes, libellos famosos, & si quæ sunt alia id genus: in quod peccatum Sacra Tridentina Synodus animadverti jubet: deinde ut ille Deum honorant, qui ejus opem atque auxilium in suis calamitatibus implorant: ita debitum Deo honorem is negat, qui illius subsidium non invocat: quos redarguit David, cum inquit: Deum non invocaverunt; illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.

Jud. 3.

2. Pet.
3.

At verò longè magis detestabili scelere se ipsos adstringunt, qui sacrosanctum Dei nomen, ab omnibus creaturis benedicendum, & summis laudibus extollendum, aut etiam Sanctorum nomen, cum Deo regnantium, impuro, & contami-

Trid.
Syn.

Sess. 4.

hæc 2.

os 27.

hæc 2.

Psalm.

13. &

52. &

12. &

12. &

12. &

12. &

12. &

12. &

nato ore blasphemare, atque execrari audeat; quod quidem peccatum usque ad eum atrox, atque immane est, ut interdum sacræ litteræ, si de blasphemis sermo incidat, benedictionis nomine utantur. Quoniam verò pænæ, & supplicij terror peccandi licentiam vehementer coercere solet; idcirco Parochus, ut hominum animos magis permoveat, atque ad hoc præceptum servandum facilius impellat, alteram illius partem, & quasi appendicem diligenter explicabit. Nec enim habebit insontem Domium eum, qui assumpsit nomen Domini Dei sui frustra. Ac primum quidem doceat: summa ratione factum esse, ut huc præcepto minè adjungeretur: quo quidem & peccati gravitas, & in nos Dei benignitas agnoscitur: qui cum hominum perditione non delectetur, ne ipsius iram, & offensionem subeamus, hisce salutaribus minis nos deterret, nimirum ut illum benevolam potius, quàm iratum experiamur. Urgeat hunc locum Pastor, istetque summo studio, ut populus sceleris gravitatem agnoscat, & illud detestetur vehementius, & in eo evitando majorem diligentiam, & cautionem adhibeat. Ostendat præterea quantum sit hominum proclivitas ad hoc peccatum committendum; ut non satis fuerit legem ferre, nisi etiam minè adderentur. Incredibile enim est, quantum hæc cogitatio utilitatis habeat; nam ut nihil æque nocet, atque incauta quedam animi securitas: ita propria imbecillitatis cognitio plurimum prodest. Tum illud etiam declarat, nullum à Deo certum supplicium constitutum fuisse, sed tantum uni-

3. Reg.
21.

Job 1.
8. 2.

Exod.
20.

versè mirari, quicumque se hoc scelere adstrinxerit, non impunitaturum; & quapropter diversa supplicia, quibus quotidie affligimur, hujus peccati admonere nos debent: hinc enim facile licet conjicere, homines ea re in maximas calamitates incidere; quòd huic precepto non obtemperant; quibus sibi propositis, cautiores eos in posterum fore verisimile est. Fideles itaque, Sancto timore perterriti, omni studio peccatum hoc fugiant; nam si omnis verbi otiosi in extremo judicio reddenda ratio est; quid de gravissimis sceleribus dicendum, que magnam divini nominis despicientiam preseferunt?

MEMENTO, UT DIEM SABBATHI SANCTIFICES. SEX DIEBUS OPERABERIS, ET FACIES OMNIA OPERA TUA. SEPTIMA AUTEM DIE SABBATHUM DOMINI DEI TUI EST. NON FACIES OMNE OPUS IN EO TU, ET FELIUS TUUS, ET FRATRA TUA, ET SERVUS TUUS, ET ANCELLA TUA, JUMENTUM TUUM, ET ADVENA, QUI EST INFRA PORTAS TUAS, SEX ENIM DIEBUS FECIT DOMINUS CŒLUM, ET TERRAM, ET MARE, ET OMNIA, QUE IN IIS SUNT, ET REQUIEVIT IN DIE SEPTIMO, IDEOQUE BENEDIKIT DOMINUS DIEI SABBATHI, ET SANCTIFICAVIT EUM.

Hoc legis precepto externus ille cultus, qui Deo à nobis debetur, rectè, atque ordine præscribitur, est enim hic veluti quidam prioris præcepti fructus, quoniam quem intimis sensibus pie colimus, fide, & spe adducti, quam in eo postam habemus, non passivum eum non externo cultu venerari, eidemque gratias agere. Et quo-

niam hæc ab his, qui humanarum rerum occupationibus detinentur, non facile præstari possunt; certum tempus statutum est, quo ea commode effici queant. Itaque cum hoc preceptum ejusmodi sit, ut fructum, utilitatemque admirabilem afferat; maxime interest Parochi summam in eo explicando diligentiam adhiberi: ad ejus autem inflammandum studium magnam vim habet primum illud præcepti verbum, Memento: nam quemadmodum fideles tale preceptum meminisse debent, sic Pastoris est, in eorum memoriam illud & monendo, & docendo sæpè redigere. Quantum verò fidelium referat, hoc preceptum colere, ex eo percipitur, quòd eo diligenter colendo, ad reliqua legis jussa servanda facillius addecentur. Cum enim inter cetera, que diebus festis præstare debent, necesse habeant, verbi Dei audienti causa, ad Ecclesiam convenire, cum edocti fuerint divinis justificationes, illud etiam consequuntur, ut ex toto corde custodiunt legem Domini; quam obrem respiciunt Sabbathi celebritas, cultusque præcipitur in sacris litteris, ut in Exodus, Levitico, Deuteronomio, apud Isaiam, Hieroniam item, & Eszechielum Prophetas videre licet: quibus omnibus in locis hoc de Sabbathi cultu traditum est preceptum. Monendi vero, & hortandi sunt Principes, & magistratus, ut in iis maxime, que ad hunc cultum Dei retinendum atque augendum pertinent, Ecclesie præsidet auctoritate sua juvent, jubentque populum Sacerdotum præceptis obtemperare. Quod autem ad hujus præcepti explanationem

Exod. 16. 40.
21.
Levit. 16. 19.
23. 26.
Deuter. 5.
Isai. 58. 66.
Hie. 17.
Eszech. 20. 22.
23. 46.

non pertinet, danda opera est, ut fideles doceantur, quibus rebus hoc preceptum cum cæteris conveniat; quibusve differat ab eis; hoc enim pacto causam ille, rationemque cognoscet, quare non Sabbathum, sed diem Dominicum colamus, sanctumque habeamus. Certa igitur illa differentia videtur, quòd reliqua Decalogi præcepta naturalia sunt, & perpetua, neque morari ulla ratione possunt: quo factum est, ut, quamvis lex Mosis abrogata sit, omnia tamen præcepta, que duabus tabulis continentur, populus Christianus servet, quòd idè fit, non quia Moses ita jussit, sed quòd nature conveniunt; cujus vi homines ad illa servanda impelluntur. Hoc autem de Sabbathi cultu preceptum, si statutum tempus spectatur, non fixum, & constans est, sed mutabile; neque ad mores, sed ad ceremonias pertinet; neque naturale, quoniam non à natura ad id dicitur, aut institutum sumus, ut illo die potius, quam alio externum cultum Deo tribuamus: sed ex eo tempore, quo populus Israeliticus à Pharaonis est servitute liberatus, diem Sabbathi coluit. Tempus autem, quo Sabbathi cultus tollendus erat, illud idem est, quo ceteri Hebraici cultus, ceremonieque antiquanda erant, morte scilicet Christi: nam cum ille ceremonie sint quasi adumbrate imagines lucis, & veritatis; illud utique necesse erat, ut lucis ac veritatis, quæ Jesus Christus est; adventu removerentur; qua de re Sanctus Paulus ad Galatas ita scripsit, & tempora, & annos. Timeo vos,

ne fortè sine causa laboraverim in vobis. In quam etiam sententiam scripsit ad Colossenses. Et hæc de differentia. Convenit autem hoc preceptum cum reliquis, non ritu, & ceremoniis, sed quia aliquid habet, quòd ad mores naturæque jus attineat; nam Dei cultus, ac religio, quæ hoc præcepto exprimitur, à nature jure existit, cum illud natura comparatum sit, ut aliquot horas in iis, que ad Deum pertinent, versemur: cujus rei argumento est, quòd apud omnes nationes, statas quadam ferias, easque publicas fuisse certum, que sacris rebus, ac divinis obediunt erant consecrate: est enim naturale homini, ut is certam quoddam tempus necessarius rerum functionibus det, veluti corporis quieti, somno, & aliis ejusmodi rebus; & quemadmodum corpori, ita eadem nature ratione factum est, ut menti aliquid etiam temporis concederet, quo in Dei contemplatione sese refoceret; atque ita cum aliqua temporis parte esse debeat, quo res divine colantur, cultusque Deo debitus tribuatur, cultusque ad morum præcepta pertinet; quam ob causam Apostoli ex illis septem diebus eum, qui primus est, ad divinum cultum consecrare statuerunt, quem Dominicum diem dixere; nam & Sanctus Joannes in Apocalypsi, Domini diei meminit; & Apostolus per unam Sabbathi, que est dies Dominicus, ut Sanctus Chrysostomus interpretatur, collectas fieri jubet; ut intelligamus, jam tum in Ecclesia diem Dominicum Sanctum habitum esse. Jam verò, ut sciant fideles, quòd eo die agere, & tempora, & annos. Timeo vos,

Colos.

Apoc. 1.
Cor. 16.

debeant; non alienum est, ut Parochus totum præceptum; quod in quatuor verbis rectè distribui potest, ad verbum diligenter interpretetur. Itaque primum generaliter proponat, quid his verbis præscribatur, MEMENTO, UT DIEM SABBATHI SANCTIFICES: ob eam verò causam initio præcepti verbum illud, Memento, appositè additum est, quòd hujus diei cultus ad caeremonias pertinet. Qua de re populus admonendus esse videbatur, cum naturæ lex, etsi aliquo tempore Deum religionis ritu colendum esse doceat, hoc tamen quo potissimum die fieri debet, non præscripsit. Præterea fideles docendi sunt, ex his verbis modum & rationem colligi posse, qua in tota hebdomada opus facere conveniat, ita scilicet, ut diem festum semper spectemus; quo die cum actionum, & operum nostrorum Deo quasi reddenda ratio sit; ejusmodi opera efficiamus, necesse est, quæ neque Dei iudicio repudientur, neque nobis, ut scriptum est, in singulum sint; & in scrupulorum cordis. Postremò id doceamus, quod certè animadvertere debemus, non defuturas scilicet occasiones, quamobrem nos hujus præcepti capiat oblivio, vel aliorum, qui illud negligunt, exemplo adductos, vel spectaculorum, ludorumque studio; quibus plerumque ad hujus diei sancto, religiosoque cultu abducimur. Sed jam ad id veniamus, quod Sabbathi significatione demonstrat. Sabbathum, hebraicum nomen, si latine interpretaris, cessatio dicitur: Sabbathique propterea cessare, & requiescere, latino vocabulo appellatur; quia significatione factum est, ut Sabbathi po-

mine dies septimus diceretur, quoniam, absoluta, perfectaque mundi universitate, DEUS ab omni opere, quod fecerat, requievit: ita hunc diem in Exodo Dominus vocat. Postea verò non solum septimus ipsa dies, sed ob ejus dignitatem ipsa etiam hebdomada eo nomine appellata est; in quem sensum Pharisæus apud Sanctum Lucam dixit: Jejunio bis in Sabbatho. Atque hoc quidem de Sabbathi significatione. Sanctificatio autem Sabbathi sacris in litteris cessatio est, quæ sit à corporis laboribus, & à negotiis, ut apertè ostendunt hæc, quæ sequuntur, præcepti verba, NON OPERABERIS; neque verò id solum significat; (aliter enim satis fuisse dicere in Deuteronomio: Observa diem Sabbathi) sed cum in eodem loco addatur, UT SANCTIFICES EUM, hoc verbo ostenditur, Sabbathi diem religiosum esse, divinisque actionibus, & Sanctis rerum officio consecratum: itaque diem Sabbathi tam plenè & perfectè celebramus, cum pietatis & religionis officia Deo præstamus; hocque planè Sabbathum est, quod Isaias delicatum appellat: quoniam festi dies sunt veluti delicia Domini, & piorum hominum. Quare si religiosus hinc, sanctoque Sabbathi cultus, misericordie adiunguntur opera; certè maxima sunt, & multa premia, quæ eodem capite nobis proponuntur. Itaque verus ac proprius hujus præcepti sensus expectat, ut homo, & animo, & corpore in eam curam incumbat, ut statuto aliquo tempore, à negotiis, corporisque laboribus teriat, Deum pie colat, ac veneretur. Altera verò præcepti parte demonstratur, diem septimum Dei cultui

Gen. 2.

Exod.

Deuter.

Luc. 18.

Deuter.

5.

Isai. 58.

Isai. 58.

cultui divinitus dicatum esse: nam ita scriptum est: SEX DIEBUS OPERABERIS, ET FACIES OMNIA OPERATA: SEPTIMO AUTEM DIE SABBATHUM DOMINI DEI TUI EST: quæ verba ad eam sententiam referuntur, ut Sabbathum Domino conveniunt, ut intelligamus, signum esse quietis Domini. Hic verò dies divino cultui dicatus est quia rudi populo minus expediebat habere eam facultatem temporis arbitrari suo deligendi, ne fortè Ægyptiorum sacra imitaretur. Itaque è septem diebus, ultimus ad Deum colendum delectus est: quæ quidem res plena mysterii est. Quare Dominus in Exodo, & apud Ezechielem signum vocat: Videte, ille inquit, ut Sabbathum meum custodiatis: quia signum est inter me & vos in generationibus vestris: ut sciatis quia ego Dominus, qui sanctifico vos: itaque signum fuit, quod indicabat homines Deo se dedicare oportere, sanctosque eadem præbere, cum diem etiam videamus ei dicatum esse: siquidem ille dies Sanctus est, quòd tum præcipue sanctitatem, & religionem homines colere debeant. Deinde signum est, & quasi monumentum condita hujus admirandæ universitatis. Signum præterea fuit Israelitarum memorie traditum, quo admoniti, se Dei auxilio à durissima Ægyptiæ servitutis iugo solutos ac liberatos esse meminerunt: id quod Dominus ostendit illis verbis: Memento quòd & ipse servieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extenso. Ideirò præcepit tibi ut ob-

servares diem Sabbathi. Est signum item tum spirituale, tum cælestis Sabbathi. Spirituale autem Sabbathum in Sancta quadam & mystica quiete consistit: nimirum, cum vetus homo, Christo consensu, ad vitam renovatur, atque in his actionibus, quæ Christianæ pietati conveniunt, studiosè se exercere debent enim, qui aliquando erant tenebræ, nunc autem lux in Domino sunt, ut filii lucis ambulare in omni bonitate, iustitia, & veritate, neque communicare operibus infructuosis tenebrarum: Cælestè verò Sabbathum est, ut ait D. Cyrillus, eum locum Apostoli tractans; Relinquitur ergo Sabbathum populo Dei: illa vita, in qua omnibus bonis cum Christo viventibus fruamur, peccato radicitus extirpato, secundu illud: Non erit ibi leo, & mala bestia non ascendet per eam, sed erit ibi via pura, & via sancta vocabitur: omnia enim bona in visione Dei mens Sanctorum adipiscitur. Quare fideles hortandi erunt his verbis, & à Pastore incitandi: Festinemus ergo ingredi in illam requiem. Præter diem septimum habebat populus Judæus alios etiam festos, & sacros dies divina lege constitutos, quibus maximorum beneficiorum memoria renovaretur. Placuit autem Ecclesie Dei, ut diei Sabbathi cultus, & celebritas in Dominicum transferretur diem: sam ut eo die primum lux orbi terrarum illuxit: sic Redemptoris nostri, qui ad vitam æternam nos bis ad vitam patefecit, resurrectione, quæ eo die fuit, & tenebris ad lucem vita nostra revocata est: unde & Dominicum diem Apostoli dici voluerunt. Solemnen præterea

Eph. 5.

D. Cyrillus.

Isai. 35.

Hebr. 4.

I. Reg. 21.

Deuter.

5.

terea hunc diem esse in sacris literis animadvertimus; quod eo die mundi creatio initium habuit, quodque Spiritus Sanctus Apostolis datus sit. Alio; autem dies festus ab Ecclesie initio, & consequentibus deinde temporibus Apostoli, & Sancti Patres nostri instituerunt: ut piè & sanctè Dei beneficiorum memoriam coleremus. Inter eos autem celeberrimi habentur illi dies, qui ob redemptionis nostræ mysteria religioni consecrati sunt; deinde qui Sanctissimæ Virgini matri, tum verò Apostolis, ac Martyribus, ceterisque Sanctis cum Christo regnantibus dicantur: in quorum victoria Dei bonitas & potentia laudatur, ipsis debiti honores tribuantur, atque ad eorum imitationem fidelis populus incitatur. Et quoniam ad hoc præceptum servandum, magnam vim ea ipsius pars habet, quæ illis verbis expressa est: Sex diebus operaberis; septimus autem dies Sabbatum Dei est: Parochus debet illam partem diligenter explicare: etenim ex his verbis colligi potest, fideles hortandos esse, ne otiosi & desidiosi vitam tradant; sed potius Apostolicæ vocis memores, negotium suum quisque agat, & operetur manibus suis, sicut ab eo præceptum fuerat. Præterea hoc præcepto illud Dominus iubet, ut sex ipsis diebus operæ nostræ efficiamus; ne aliquid eorum, quæ aliis hebdomadæ diebus fieri, agere oporteat, in diem festum rejiciatur, atque ita animus à rerum divinarum cura, studioque avocetur. Tertia deinde præcepti pars explicanda est, quæ quodam modo describit, qua ratione Sabbathi diem colere debeamus; præcipuè autem

explicat, quid illo die facere prohiberetur: quare inquit Dominus; Non facies omne opus in eo tu; & filius tuus, & filia tua, servus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena, qui est intra portus tuas. Quibus verbis ad id primum institutum, ut, quocumque divinum cultum impedire possunt, omnino vitemus: facillè enim perspicui potest, omne servilis operis genus prohiberi, non quidem ea res, quæ sua natura aut turpe, aut malum sit; sed quoniam mentem nostram à divino cultu, qui finis præcepti est, abstrahit; quò magis peccata à fidelibus vitanda sunt; quæ non solum animum à divinarum rerum studio avocant, sed nos à Dei amore prorsus sejungunt. Non tamen eas actiones, neque ea opera vitantur, quæ ad divinum cultum attinent, etiam si servilia sint, ut altare instruere, templa, alicujus festi diei: causas, ornare, & reliqua hujus generis: ideoque à Domino dictum est Sacerdotes in templo Sabbatum violare, & sine crimine esse. Sed neque earum rerum opera hac lege prohiberi existimandum est, quorum jactura faciendâ sit, si die festo prætermittantur, quemadmodum sacris etiam Canonibus permixtum est. Multa alia Dominus in Evangelio festis diebus fieri posse declaravit, quæ facillè Parochus apud Sanctos Mattheum & Joannem observabit: sed ut nulla res prætermittatur, cujus actione hic Sabbathi cultus impeditur, facta est juncti mentio; quò animalium genere impediuntur homines, quò minus Sabbatum diem colant: si enim die Sabbathi alicui operis actioni jumenti usus desti-

natur;

Matth.
12.

natur; necessaria est etiam ad id hominis opera, qui jumentum agat: itaque solum per se opus facere non potest, sed hominem, qui illud movetur, adjuvat; eo autem esse nemini opus facere licet: ergo neque jumentis, quorum opera ad id homines utantur. Itaque hujus præcepti lex eò etiam spectat, ut, si jumentorum laboribus homines parcere Deus vult, eò certè magis ipsi cavere debeant, ne inhumani sint in eos, quorum opera, atque industria utuntur. Neque verò Parochus illud prætermittere debet, ut diligenter doceat, quibus in operibus, atque actionibus Christiani homines diebus festis exercere se debeant. Ille verò ejusmodi sunt, ut ad Dei templum accedamus, eoque loco sincerè, pièque assidua attentione sacròsanctæ Missæ sacrificio intersimus: divina Ecclesie sacramenta, quæ ad salutem nostram instituta sunt, ad animæ vulnerum curationem crebrò adhibeamus; nihil verò est, quod opportunius, aut melius à Christianis hominibus fieri possit, quàm si peccata sua Sacerdotibus sæpè confiteantur: ad quam rem perficiendam poterit Parochus populum adhortari, sumpta hujus probandæ rei ratione, & copia ex iis, quæ de Penitentia Sacramento suo loco tradita, ac præcepta sunt. Neque solum ad hoc Sacramentum populum excitabit; sed seculò etiam atque etiam ad illud adhortabitur, ut sacrosanctum Eucharistie Sacramentum crebrò percipiant. Attente præterea, diligenterque sacra concio fidelibus audienda est: nihil enim minus ferendum est, neque tam profectò indignum, quàm Christi verba con-

temnere, aut negligenter audire. Exercitatio item, atque studium fidei solum per se opus facere laudibus frequens esse debet; præcipue ejusdem cura, ut quæ ad Christiani vitæ institutionem pertinent, ea diligenter addiscat; seduloque se exerceat in iis officiis, quæ pietatem continent; pauperibus, & egenis elemosinas tribuendo, ægros homines visitando, merentes, quique dolore afflicti jacent, piè consolando; nam ut est apud Sanctum Jacobum: Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem, hæc est: Visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum. Ex his, quæ dicta sunt, facillè erit colligere, quæ contra hujus præcepti regulam committuntur. Parochi verò officium in eo item esse debet, ut certos quosdam locos in promptu habeat, unde rationes, atque argumenta sumat, quibus populo illud maxime persuadeatur, ut hujus præcepti legem summo studio, accuratè diligentia servet; ad hoc plurimum valet, ut populus scilicet intelligat, ac planè perscipiat, quàm hæc sit, & rationi consentaneum sit, nos certos quosdam dies habere, quos totos divino cultu tribuamus; Dominumque nostrum, à quo summa & innumerabilia beneficia accepimus, agnoscamus, colamus, & veneratione, si enim jusisset nos quotidie sibi religionis cultum tribuere; nonne pro suis erga nos beneficiis, quæ maxima & infinita sunt, omnino opera danda esset, ut promptè, alacrique animo, quæ dicto audientes essemus? nus verò, paucis ad ejus cultum institutis diebus, non est, cur nos negligentes, atque

diffi-

Jacob.
1.

difficiles in ejus officii functione simus, quod sine gravissima culpa prætermittere non possumus. Demonstrat deinde Parochus, quanta hujus præcepti virtus sit, cum ille, qui illud rectè servaverit, in conspectu Dei esse, cum eoque colloqui videatur; nam & præcipientis Dei majestatem contemplanur, & cum eo colloquimur: & concionatoribus audiendis, Dei vocem accipimus; quæ ad aures nostras eorum opera pervenit, qui de rebus divinis pie, sanctèque concionantur: tum in altaris sacrificio præsentem Christum Dominum adoramus: & his quidem bonis illi maximè fruuntur, qui hoc præceptum servant diligenter: qui vero hanc legem omnino negligunt, si cum Deo, & Ecclesiæ non obediunt, neque ejus præceptum audiant, & Dei, & sanctarum legum hostes sunt: quod animadverti potest ex eo, quod præceptum hoc ejusmodi est, ut nullo labore servari queat. Cum enim Deus non labores nobis imponat, quos vel difficilimos ejus causa suscipere deberemus, sed quietos illis diebus festis à terrenis curis liberos esse jubet; magnæ temeritatis indicium est, hujus præcepti legem recusare. Exemplo nobis esse debent supplicia, quæ de illis Deus sumpsit, qui illud violaverunt, ut ex libro Numerorum licet intelligere. Ne igitur in hanc Dei offensionem incidamus, opere præteritum erit, sæpè illud verbum, MEMENTO, cogitatione repetere, magnasque illas utilitates, & commoda sibi ante oculos proponere, quæ ex festorum diurnum cultu percipi supra declaratum est; & multa alia ad id genus pertinentia, quæ

Num.
15.

bonus & diligens Pastor, ut occasionis ratio postulabit, copiosè, latèque persequi poterit. *Dei regnum et gloria eius in seculum amen.*
HONORA PATEM TUAM, ET MATREM TUAM, UT SIS LONGÆVUS SUPER TERRAM, QUAM DOMINUS DEUS TUUS DABIT TIBI.

Cum in superioribus præceptis summa sit vis, & dignitas; meritis, quæ nunc persequimur, quia maximè necessaria sunt, proximam locum obtinent; nam illa finem, qui Deus est, continuo spectant: hæc nos ad proximi charitatem erudiunt; etsi longius progressæ, ad Deum, idest, illud extremum, cujus gratia proximum ipsam diligimus, perducant. Quamobrem Christus Dominus præcepta illa duo de diligendo Deo & proximo similia inter se esse dixit. Hic autem locus, dici vix potest, quantas habeat utilitates, cum & suos fructus ferat, uberes illos quidem, ac præstantes; & sit tamquam signum; ex quo primi præcepti obedientia & cultus elucet. Qui enim non diligit, inquit D. Joannes, fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quo modo potest diligere? Ad eundem modum: si parentes, quos secundum Deum diligere debemus, non veneramus, & colimus, cum in conspectu nobis ferè semper sint: Deo, summo parenti, & optimo, qui nullam sub aspectum cadit, quem honorem, quem cultum tribuimus? ex quo prespicuum est, utraque præcepta inter se congruere. Hujus autem præcepti usus latissimè patet; nam præter eos, qui nos genuerunt, multi præterea sunt, quos in parentum loco colere debemus, vel

Matth.
22.
Marc.
12.

1. Joan.
4.

vel potestatis, vel dignitatis, vel utilitatis, vel præstantis alicujus muneris, & officii nomine. Parentum præterea, majorumque omnium laborem levat; cum enim id in primis carent, ut quos habent in sua potestate, ita rectè, & divine legi convenienter vivant, erit hæc cura perfacilis, si omnes intelligant, Deo auctore, & monitore, summum honorem parentibus tribui oportere; quod ut præstare possimus, necesse est, nosse quandam differentiam, quæ est inter præcepta primæ & secundæ tabulæ. Ergo hæc primùm à Parocho sunt explicanda: idque in primis moneat, divina Decalogi præcepta fuisse in duabus tabulis incisa; in quarum altera, quemadmodum à Sanctis Patribus accepimus, tria illa continebantur; quæ jam sunt exposita; reliqua verò in altera tabula erant inclusa. Atque hæc nobis perapposita fuit descriptio, ut præceptorum rationem ordo ipse distingueret; nam quidquid in sacris litteris divina lege jubetur, aut vetatur, id duorum generum oritur ex altero; aut enim erga Deum, aut erga homines charitas in omni officio spectatur. Et quidem charitatem in Deum superiora tria præcepta docent; quod verò ad hominum conjunctionem, & societatem pertinet, id reliquis septem præceptis continetur. Quocirca non sine causa ejusmodi est facta distinctio, ut alia ad priorem, alia ad alteram tabulam præcepta referantur; nam superioribus tribus præceptis, de quibus dictum est, quasi subjecta materies, quam tractent, est Deus, idest summum bonum, cæteris verò proximi bonum; illis summus, his

proximus amor est propositus: illa finem, hæc autem eam, quæ ad finem referuntur, spectant. Præterea charitas Dei ex ipso pendet; Deus enim per se, non alterius rei causa, summè diligendus est; charitas autem proximi à charitate Dei ortum habet, atque ad eam tamquam ad certam regulam dirigenda est: nam si parentes caros habemus, si dominis pæremus, si dignitate antecessentes reveremur; id eam re maximè faciendum est, quod eorum procreator est Deus, eosque aliis præesse voluit, quorum opera cæteros homines regit, ac tuetur: qui cum nobis auctor sit, ut ejusmodi personas vereamur, idcirco id præstare debemus, quia à Deo hoc ipso honore dignantur: ex quo fit, ut honor, quem parentibus habemus, Deo potius, quam hominibus, haberi videatur: sic enim apud Sanctum Mattheum est, cum de observantia in superiores agitur: Qui recipit vis, non recipit; & Apostolus in Epistola ad Ephesios, servos instituens: Servi, inquit, obedite dominis carnalibus, cum timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi. Accedit, quod Deo nullus honor, nulla pietas, nullus cultus satis dignè tribuitur, in quem amor augeri infinitè potest; proptereaque nostra erga illum charitas in dies fiat ardentior, necesse est; quem ejus jussu, ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus amare debemus. Ad charitas, qua proximum complectimur, suis finibus circumscriptur; jubet enim Dominus proximos diligere, sicut nos ipsos: Ecce quod

Matth.
10.
Ephes.
6.

Deuter.
6.
Matth.
22.

Mar. quod si quis hos fines egressus fuerit, ita ut parem Deo & proximis amorem tribuat, is maximum sceles admittere. Si quis venit ad me, inquit Dominus, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus: in quam sententiam item dictum est: *Luc. 9.* Sine, ut mortui sepeliant mortuos suos: cum quidam primum humare patrem vellet, postea Christum sequi; cujus rei dilucidior explicatio est: *Matth. 10.* Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est mihi dignus. Nec tamen ulla dubitatio est, quin parentes vehementer amandi, observandique sint: sed ad pietatem in primis necessarium est, Deo, qui parens, & effector est omnium, precipium honorem, & cultum tribui; ideoque mortales parentes amari, ut ad caelestem sempiternumque Patrem tota amoris vis referatur; quod si interdum parentem jussa Dei preceptis repugnet, non dubium est, quin liberi, parentum cupiditati, Dei voluntatem anteferre debeant, divine illius sententiae memores; *Act. 5.* Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.

Honore, quæ vim habeat apud scripturas. Quibus rebus expositis, Parochus verba præcepti interpretabitur, atque illud primum, Honore, quid sit: est enim, de aliquo honorifice sentire, & que illius sunt, maximi putare omnia. Huic autem honori hæc omnia conjuncta sunt, amor, observantia, obedientia, & cultus. Scitæ autem in lege posita est honoris vox, non amoris, aut metus; etiam si valde amandi, ac metuendi parentes sint: etenim

qui amat, non semper observat, & venerat: qui metuit, non semper diligit: quem verò aliquis ex animo honorat, item amat, & revertetur. Hæc cum Parochus explicavit, tum æget de patribus, quique sint ii, qui vocentur hoc nomine nam etsi de iis præcipue patribus lex loquitur, ex quibus generati sumus: tamen ad alios quoque pertinet hoc nomen, quos etiam complecti lex videtur, quemadmodum ex pluribus divinæ Scripturæ locis facile colligimus. Præter illos igitur, qui nos procreaverunt, patrum genera item alia sunt in sacris litteris, quod antea attigimus, quibus singulis usus honor debetur: ac primum Ecclesie presides, & Pastores, & Sacerdotes, patres dicuntur, quemadmodum ex Apostolo constat, qui ad Corinthios scribens: Non, inquit, ut confundam vos, hæc scribo, sed ut filios meos carissimos moneo. Nam si decem millia pedagogorum habeatis in Christo: sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui. Et in Ecclesiastico scriptum est: Laudem viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua. Deinde ii, quibus aut potestas commissa est, qui rempublicam gubernant, & patres appellatur. Sic Naaman a famulis pater vocabatur. Præterea, matres eos dicimus, quorum procuracionis, fidei, probitatis, sapientieque alii commendantur: cujusmodi sunt tutores, & curatores, pedagogi, & magistri. Quare Eliam, & Eliseum filii Prophetarum patrem vocabant. Postremo patres dicimus senes, & ætate confectos, quos etiam vereri debemus. Atque hoc

1. Cor.

4.

Eccles.

44.

4. Reg.

5.

4. Reg.

2.

4. Reg.

13.

hoc in Parochi præceptis maximum sit, ut doceat patres, cujuscumque siut generis, præsertim verò eos, ex quibus nati sumus, ad nobis honorandos: de quibus divina lex præcipue loquitur; sunt enim immortalis Dei quasi quemadmodum simulacra, in iisque ortus nostri imaginem intuemur: ab his vita nobis data est: iis Deus usus est, ut nobis animum, mentemque impertiret: ab iis ad sacramenta deducti, ad religionem, ad humanum cultum, civilemque instituti, ad morum integritatem & sanctitatem eruditi sumus. Doceat verò Parochus, merito nomen, MATRIS, in hoc præcepto expressum, ut ejus beneficia, & merita erga nos consideremus, quanta cura, & sollicitudine nos in utero gesserit, quanto cum labore ac dolore pepererit, & educarit. Porrò ita observandi parentes sunt, ut, quæ eis tribuimus, honor ex amore, atque intimo animi sensu depromptus videatur: quibus hoc officium debetur maxime, cum erga nos sint ita affecti, nullum ut laborem, nullam contentionem, nulla pericula nostra causa refugiant, nihilque illis accidere possit jucundius, quam ut filiis diligunt. Joseph cum in Ægypto honore, & amplitudine regi esset proximus, patrem, qui in Ægyptum venerat, honorifice excepit & Salomon matri advenienti surrexit; eamque veneratus, regio in solio ad dexteram collocavit. Alia præterea sunt honoris officia, quæ in parentes conferri debent; nam eos tum etiam honoramus, cum ad Deo suppliciter petimus, ut eisdem bene & feliciter omnia eveniant, ut in maxima gratia & ho-

nore sint apud homines, ut ipsi Deo ac sanctis, qui in celis sunt, commendatissimi sint. Item parentes honoramus, cum nostras rationes ad eorum arbitrium, voluntatemque conferimus; cujus rei suavor Salomon: Audi, inquit, fili mi, disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tue: ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. Cujusmodi sunt etiam D. Pauli cohortationes: Filii obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim justum est. Item: Filii obedite patribus per omnia, hoc enim placitum est in Domino. Et sanctissimorum hominum exemplis confirmatur: etenim Isaac, cum a patre ad sacrificium vinciret, modeste ac siue recusatione paruit: & Rechiabab, ne à patris consilio unquam discrepant, vino se in perpetuum abstinerunt. Item, parentes honoramus, cum eorum recte facta, moreque imitantur: iis enim plurimum tribuere videamus, quorum esse volumus quam simillimi. Item, parentes honoramus, quorum consilia non modo exquirimus, verum etiam sequimur. Item, quibus subvenimus, ea impertientes, quod victus, cultusque desiderat; quod Christi testimonio comprobatur, qui Pharisæorum impietatem redarguens: Quare & vos, ait, transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit Honora patrem, & matrem. Et: Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri: Manus quodcumque est ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem suum, aut matrem suam: & irritum fecistis mandatum Dei

Prov. 1.

Eph. 6.

Col. 3.

Gen. 22.

Hierem.

35.

Matth.

13.

propter traditionem vestram. Ex honoris quidem officia parentibus tribuere semper debemus, sed tum maximè, cum periculosè agrotant: danda enim opera est, ne quid prætermittant, quod vel ad peccaterum confessionem attinet, vel ad reliqua sacramenta, quæ à Christianis hominibus percipi debent, cum mors appropinquat: idque nobis cure sit, ut pii, religiosique homines eos crebrè interrogent, qui vel inbecillos confirmant, & consilio juvent, vel optimè animatos ad spem erigant immortalitatis; ut, cum mentem à rebus humanis excitant, totam conijciant in Deum: sic fiet, ut fidei, spei, & charitatis beatissimo comitatu ac religionis presidio muniti, mortem non modò non pertimescendam, cum necessaria sit: sed cum aditum ad eternitatem expedit, etiam appetendam censeant. Postremò vel mortuis parentibus honor tribuitur, si is fumus facimus; si exequias cohonestamus; si honorem sepulture impertimus; si iusta & sacrificia anniversaria curamus; si, quæ ab his legata sunt, diligenter persolvimus. Honorandi autem sunt non modò illi, ex quibus nati sumus, verum etiam alii, qui patres appellantur, ut Episcopi, & Sacerdotes, ut reges, ut principes, ut magistratus, ut tutores, ut curatores, ut magistri, ut pedagogi, ut senes, & ceteri ejusmodi: digni enim sunt, qui ex charitate, ex obedientia, ex ope nostra fructus percipiant, sed alius alio magis.

1. Tim. 5. De Episcopis, & aliis Pastoribus ita scriptum est: Qui bene præsumt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui la-

borant in verbo, & doctrina. Jam verò, quanti erga Apostolum amoris documenta Galatæ dederunt? quibus is præclarum illud benevolentis testimonium tribuit: Testimonium enim perhibeo vobis, quia, si fieri posset, oculos vestros eruissetis & dedissetis mihi. Quin etiam Sacerdotibus ea suppeditanda sunt, quæ ad vite usus necessarios requiruntur; quare Apostolus: Quis, inquit, militat suis stipendiis unquam? Et in Ecclesiastico scriptum est: Honorifica Sacerdotes, & purpura te cum brachiis. Da illis partem, sicut mandatum est tibi, primitiarum, & purgationis. Illis etiam obtemperandum esse, docet Apostolus: Obedite, inquit, præpositis vestris, & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddaturi. Quin potius à Christo Domino præceptum est, ut vel improbis Pastoribus obtemperemus, cum dicat; Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisei: Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate, & facite: secundum opera verò eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt. Idem de regibus, de principibus, de magistratibus, & reliquis, quorum potestati subjicimur, dicendum est: iis verò quod honoris, cultus, observantia genus tribuendum sit, Apostolus ad Romanos latè explicat: pro quibus etiam orandum esse monet; & divus Petrus, Subjecti, inquit, estote omni humane creature propter Deum: sive regi, quia præcellenti: sive ducibus, tamquam ab eo missis; nam si quem eis cultum tribuimus, is ad Deum refertur: habet enim venerationem hominum excellens dignitatis gradus, quia

Gal. 4.

1. Cor.

9.

Eccles.

7.

Hebr.

13.

Matt.

23.

Rom.

13.

1. Tim.

2.

1. Pet.

2.

quia divine potestatis est instans: in quo etiam Dei providentiam contemnemur, qui publici muneris procuracionem iis attribuit, quibusque utitur tamquam potestatis sue ministris: nec enim hominum improbitatem, aut nequitiam, si tales sunt magistratus, sed divinam auctoritatem, quæ in illis est, reveremur: ut, quod perirum fortasse videatur, quamvis in nos sint inimici, infensoque animo, quamvis implacabiles, tamen non satis digna causa sit, cur eos non perofficiose observemus; nam & Davidis magna in Saule officia extiterunt, cum ei tamen esset offensior: quod imiuit illis verbis: Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus. At verò, si quid improbè, si quid iniquè imperent, cum id non ex potestate, sed ex injuria, atque animi perversitate agant, omnino non sunt audiendi. Ubi hæc Parochus singillatim exposuerit, deinceps consideret, quoddam præmium, quamque consentaneum iis propositum sit, qui divino huic præcepto obediunt; nam in eo fructus est maximus, ut diu vivant; propterea quod digni sunt, qui beneficio quam diutissimè perfruantur, cujus memoriam perpetuò conservant. Cum igitur, qui parentes colunt, iis gratiam referant, à quibus lucis & vite usuram habent, jure & merito vitam ad summam senectutem perducunt. Tum adjungenda est divine promissionis illustris explanatio; neque enim solum semperternæ, ac beatæ sed hujus etiam, quam in terris agimus, vite usus promittitur: cujus sententiæ interpres est D. Paulus, cum inquit: Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vite,

quæ nunc est; & future. Nec verò hæc merces aut exigua est, aut contemnenda, etiam si sanctissimis viris, ut Job, ut Davidi, ut Paulo, mors fuerit optabilis, & arduosis ac miseris hominibus vite propagatio sit injuncta: nam illorum verborum adjunctio, QUAM DOMINUS DEUS TVS DABIT TIBI, non modò temporis diuturnitatem ad vivendum, sed otium, quietem, incoluntiam ad bene vivendum pollicetur; nam in Deuteronomio non solum inquit; Ut longo vivas tempore; sed illud etiam addit; Ut bene sit tibi: quod deinde ab Apostolo repetitum est. Hæc autem bona eis suppetere dicimus, quorum pietati Deus gratiam referat: aliter enim divini promissi fides & constantia non erit; cum interdum, qui majorem pietatem parentibus præstiterunt, iis vita brevior sit: quibus id quidem contingit, vel quod iis optimè consulitur, qui prius vita excedunt, quam à virtutis, & officii religione decedunt: rapinam enim, ne malitia mutet intellectum eorum, aut ne fictio decipiat animam illorum: vel quia, dum pernicias & rerum omnium perturbatio impendit, è corporibus evocatur, ut commanum temporum acerbiteriam evadant: A facie enim malitiæ, inquit Propheta, collectus est justus: quod fit, ne eorum aut virtus, aut salutem perducunt. Tum ad mortales flagitorum penas repetit Deus: vel ne tristissimis temporibus ex propinquorum, amicorumque calamitatis acerbissimos luctus sentiant; quare metuendum est majorem in modum, cum viciis bonis immatura mors accidit. Ac, quemadmodum iis, qui grati in paren-

Deuter.

5.

Epbes.

6.

Sap. 4.

Isai. 57.

parentes sunt, officii merces & fructus est à Deo propositus; sic ingrati & impii filii gravissimis poenis reservantur: scriptum est enim;

Exod.

21.

Lev. 20

Prov.

19.

Prov.

20.

Prov.

30.

Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur. Et: Qui aspicit patrem, & fugit matrem, ignominiosus est, & infelix. Et: Qui maledicit patri suo, vel matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris. Et: Oculum, qui subannat patrem, & qui despicit partum matris suae, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilae. Qui parentibus injuriam intulerunt, multos fuisse legitimus: in quibus ulciscendis, Dei iracundia exarsit: non enim Davidem inultum reliquit, sed sceleris debitas poenas dedit Absalon, quem, ob ejus scelus, tribus hastis transfrixum punivit. De iis verbis qui Sacerdotibus non obtemperant, scriptum est; Qui superbitur, & non obediens Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille. Et quemadmodum divina lege sancitum est, ut parentibus filii honorem habeant, ut pareant, ut obsequantur sic parentum propria officia sunt, atque manera, ut sanctissimis disciplinis, ac moribus filios imbuant, ipsique optima dendi vivendi praecipia, ut ad religionem instructi, & parati, Deum sanctè, inviolatèque venerent; quod à parentibus Susannae factum esse legitimus. Itaque Sacerdos parentes commoneat, ut se liberis magistros praebent, virtutis, aequitatis, continentiae, modestiae, & sanctitatis triaque praesertim declinent, in quibus sepe offendere consueverunt: primum, ne quid acerbius

in liberos aut loquantur, aut stantur: quod Apostolus in Epistola ad Colossenses ita praecipit; Patres nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant; nam periculum est, ne fracto, abjectoque animo sint, dum omnia timent. Quare illud praecipiat, ut nimiam severitatem effugiant, malitèque liberos corrigere, quam ulcisci: deinde, si qua culpa commissa est, eum necessaria sint castigatio, & oburgatio, ne quid liberis per indulgentiam dissolutè remittant: sepe enim filii parentum nimia lenitate, & facilitate depravantur: quoniam à dissoluta indulgentia deterreat exemplo Heli, summi Sacerdotis; qui, quòd in liberos indulgentior fuerat, maximo supplicio est affectus: postremo, ne, quod foedissimum est, in filiorum educatione ac doctrina, praepostera consilia ineant: etenim permulti in hac una cogitatione curaque versantur, ut opes, ut pecunias, ut lautum, & amplum patrimonium liberis relinquunt, quos non ad religionem, non ad pietatem, non ad bonarum artium disciplinam, sed ad avaritiam, & ad rem familiarem augendam cohortantur; nec de filiorum educatione, & salute sunt solliciti, dummodo pecuniosi sint, & praedivites: quo quid dici, aut cogitari turpius potest? ita fit, ut ad illos non tam rerum copias, quam sua scelera, & flagitia transferant; quibus tandem non ad colorem sed duces praebent, sed ad inferorum supplicia sempiterna. Sacerdos igitur optimis praecipis parentes instituat, eosque ad Tobiae exemplum ac similem virtutem excitet; ut, cum filios ad Dei cultum,

Col. 3.

1. Reg.

4.

2. Reg.

18.

Deuter.

17.

Dan.

13.

sunt: primum, ne quid acerbius

& sanctimoniam probè erudierint, ab iis etiam amoris, & observantiae, & obsequii uberrimos fructus capiant.

NON OCCIDES.

Matth.

5.

Magna illa, quae pacificis hominibus proposita est, felicitas, quoniam filii Dei vocabuntur, Pastores maxime commovere debet, ut praecipii hujus disciplinam fidelibus diligenter, accuratèque tradant. Nam ad conciliandas hominum voluntates nulla melior ratio iniri potest, quam si ejusmodi praecipii lex rectè explicata, ab omnibus, ita, ut oportet, sanctè servetur: quoniam tum sperare licet, ut summa animi consensione conjuncti homines, concordiam & pacem maxime colant. Sed quam necesse sit praecipium hoc explicari, ex eo perspicitur, quòd, immensa illa universae terrae inundatione facta, hoc unum in primis est, quod Deus hominibus interdixit. Sanguinem, inquit, requiram animarum vestrarum de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis. In Evangelio etiam, quo primum veteres leges à Domino explicate sunt, in iis haec prima est, de qua apud S. Mattheum ita scriptum est: dictum est enim, Non occides, & reliqua, quae haec de re eo ipso loco deinceps commemorantur. Fideles praeterea attentè, libenterque praecipium hoc audire debent: si enim ejus vis spectatur, ad vitam ejusque tuendam valet; quoniam iis verbis: Non occides, homicidium omninò interdictum est: itaque singuli homines tanta cum voluptate animi illud accipere debent, perinde ac si, ira Dei proposita, gravissimisque

allis poenis, nominatim prohibitum sit, ne quis eorum ledatur: ergo ut praecipium hoc auditu jucundum est; ita ejus peccati cautio, quod praecipio prohibetur, jucunditatem habere debet. Cum autem hujus legis vim Dominus explicaret, in eo duo contineri ostendit: alterum, ne occidamus, quod à nobis fieri vetitum est: alterum, quòd facere jubemur, ut concordia amicitia, charitatèque inimicos complectamur, pacem habeamus cum omnibus, cuncta denique incommoda patienter feramus. In eo autem, quo cædes prohibetur, illud primum docendum est, quae cædes sint ejusmodi, quae hac praecipii lege non vetentur: nam, bestias occidi, prohibitum non est, quoniam si illis vesci, à Deo hominibus est concessum; fas item est, illas occidi: quae de re ita Sanctus Augustinus: Cum audimus, inquit: Non occides; non accipimus hoc dictum esse de fructibus; quia nullus est eis sensus: nec de irrationabilibus animalibus: quia nulla nobis ratione sociantur. Alterum permissum cædis genus est, quod ad magistratus pertinet, quibus data est necis potestas, quae ex legum praescripto, iudicioque in facinorosos homines animadvertunt, & innocentes defendunt; quo in munere dum justè versantur, non modò illi cædis non sunt rei, sed haec divinae legi, quae cædes vetatur, maxime obediunt; cum enim legi huius finis is propositus sit, ut hominum vitam, salutem consulatur; magistratum item, qui legitimi sunt: scelerum vindices, animadversores eodem spectant, ut audacia, & injuria supplicis repressa, tuta sit homi-

D. August.

Gen. 9.

4.

Matth.

5.

Tob. 4.

Occidunt, sed, Effundunt sanguinem: quæ verba, ad detestabilis illius sceleris amplificationem, immanemque illorum crudelitatem ostendendam, protulit; utque declararet in primis, quàm præcipites illi diabolico quodam impulsu ad id facinus ferantur, dixit: Veloces pedes eorum. Jam verò, quæ in hoc præcepto servanda esse Christus Dominus jubet, eò spectant, ut pacem cum omnibus habeamus: ait enim, cum hunc locum

Matth.

5.

interpretaretur: Si offers munus tuum ad altare, & tibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, & reliquæ ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum: & quæ sequuntur. Quæ ita à Parocho explicabuntur, ut doceat, sine ulla exceptione omnes charitate complectendos esse: ad quam in hujus præcepti explicatione fideles, quàm maximè poterit, incitabit; quod in co-proximi diligendi virtus maximè elucet. Cum enim odium hoc præcepto aperte vetetur, quoniam qui fratrem suum odit, homicida est; certè illud consequitur, ut amoris & charitatis præceptum detur; cumque hac lege de charitate & amore præceptum sit, tum omnium etiam illorum officiorum, atque actionum, quæ charitatem ipsam consequi solent, præcepta traduntur.

1. Joan.

3.

enim odium hoc præcepto aperte vetetur, quoniam qui fratrem suum odit, homicida est; certè illud consequitur, ut amoris & charitatis præceptum detur; cumque hac lege de charitate & amore præceptum sit, tum omnium etiam illorum officiorum, atque actionum, quæ charitatem ipsam consequi solent, præcepta traduntur.

1. Cor.

13.

Charitas patiens est, inquit D. Paulus: patientia igitur nobis præcipitur, in qua nos animas nostras possessuros esse Salvator docet.

Luc. 21.

Beneficentia deinde charitatis comes est, & sociæ: quoniam charitas benigna est. Benignitatis autem, atque beneficentiae virtus latè pa-

ret, ejusque officium in iis rebus maximè versatur, ut pauperibus suppeditemus res necessarias, cibum esurientibus, sitientibus potum demensus, vestiamus; & quò quisque opis nostræ magis indiget, eò in illam plus liberalitatis conferamus: hæc beneficentiae, & bonitatis officia, quæ per se sunt illustria, eo sunt illustriora, si inimicis præstentur: ait enim Salvator: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderant vos; quod etiam Apostolus monet illis verbis: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus: noli vinci à malo, sed vince in bono malum. Deique, si charitatis legem spectemus, quæ benigna est omnia, quæcumque ad mansuetudinem, lenitatem, aliasque id generis virtutes pertinent, officia colere, ea lege prescribi intelligemus. At verò longè omnium præstantissimum officium, quod charitatis plenissimum est, in quo maximè nos exercere convenit, illud est, ut injurias, quas accepimus, æquo animo remittamus, atque condonemus: quod ut planè efficiamus, sæpè nos divine litteræ, ut antea dictum est, monet, atque hortantur; cum non beatos solum eos dicant, qui ita prorsus faciunt, sed errorum etiam veniam ipsorùm à Deo datam affirmant; qui verò hoc ipsum facere negligunt, aut omninò recusant, illam non consequuntur. Sed quoniam ulciscendi libido hominum mentibus ferè insita est; Parochus maximam in eo diligentiam ponat, necesse est, ut injuriarum oblivisci, easque remittere Christianum hominem,

Matth.

5.

Rom.

12.

opor-

oportere, non doceat solum, sed penitus etiam fidelibus persuadeat. Cumque hæc ipsa de re apud sacros scriptores multa fiat mentio, eos consulat ad refellendam illorum pertinaciam, qui in ulciscendi cupiditate animo obstinato sunt, atque obfirmato. Argumenta in promptu habeat, quæ illi Patres gravissima, & ad eam rem maximè accommodata præ adhibuerunt. Verùm hæc potissimum tria explicanda sunt: primum est, ut qui se injuriam accepisse putat, ei maximè persuadeatur, illum detrimenti, aut injuriæ præcipuum causam non fuisse, quem ipse ulcisci cupit. Sic admirabilis ille Job fecit, qui à Sæbis hominibus, à Chaldæis, & à demone graviter læsus, nulla tamen eorum habita ratione, ut vir rectus, & homo admodum pius, rectè, & piæque iis verbis usus est: Dominus dedit, Dominus abstulit. Itaque patientissimi illius viri oratione, & exemplo, Christiani homines sibi persuadeant, quod verissimum est, omnia, quæcumque in hac vita patimur, à Domino, qui justitiæ omnium misericordiaeque parens est, & auctor, proficisci. Neque verò ille nos, quæ ejus est immensa benignitas, ut inimicos punit, sed ut filios corrigit, & castigat. Nec profectò, si rectè animadvertimus, in hisce rebus homines aliquid omninò sunt, nisi ministri, & quasi satellites Dei: & quamquam homo potest malè aliquem odisse, pessimèque illi cupere; tamen ei, nisi permittat Deus, nocere nullo modo potest. Hac ratione adductus Joseph, fratrum impia consilia, sic David injurias sibi à Semei illatas æquo animo tulit. Ad hæc item

Job

1.

Gen. 45.

2.

Reg.

16.

rem illud argumenti genus valde pertinet, quod Sanctus Chrysostomus graviter, atque eruditè pertractavit, neminem scilicet, nisi à se ipso, lædi: nam qui se injuriis tractatos esse opinantur, si rem recta secum via repentent, compentent profectò, nullam se ab aliis injuriam, aut damnum accepisse: etsi enim, quibus ipsi læduntur, ea extrinsecus eveniunt; tamen se maximè ipsi offendant, cum animum odio, cupiditate, invidia nefariè contaminant. Alterum est, quod duo præcipua commoda complectitur, quæ ad illos pertinent, qui pio erga Deum studio adducti, injurias libenter remittunt; quorum primum illud est, quod aliens debita remittentibus promissit Deus fore, ut ipsi etiam peccatorum veniam impetrent: ex quo promisso, quam gratum illi sit hoc pietatis officium, facillè apparet. Alterum commodum est, quòd nobilitatem quandam, & perfectionem assequimur: quoniam, condonandis injuriis, quodam modo Dei similes efficiamur, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos. Postremò, explicanda sunt incommoda illa, in quæ nos tum incidimus, cum injurias, quæ nobis illate sunt, condonare nolumus. Itaque Parochus illis, qui sibi in animum inducere non possunt, ut inimicis inogant, ob oculos ponat, odium, non solum peccatum grave esse, sed etiam diturnitate peccandi gravius inharere; cum enim is, in cujus animo hic affectus insederit, inimici sui sanguinem sitiit; illius ulciscendi spe plenus, dies, noctesque in perenni quadam mala mentis agitatione

Matth.

18.

Matth.

5.

ita versatur, ut nunquam à cædis, aut nefarie alicujus rei cogitatione cessare videatur; quo fit, ut is vel nunquam, vel maximo negotio ad id impellatur, ut, aut prosum ignoscat, aut aliqua saltem ex parte injurias remittat; quare merito vulneri comparatur, cui telum infixum heret. Multa preterea incommoda & peccata sunt, quæ hoc uno odii peccato, quasi vinculo quodam, juncta tenentur: ideoque D. Joannes in hac sententiam ita dixit: Qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quo eat: quia tenebræ obcæverunt oculis ejus: itaque sapius labatur, necesse est. Etenim quo pacto fieri potest, ut dicta aliquis, aut facta illius probet, quem oderit? Hinc temeraria & iniqua judicia existunt, iræ, invidiæ, obreptationes, & alia ejusmodi; quibus illi quoque implicari solent, qui aut cogitatione, aut amicitia juncti sunt: itaque sæpè fit, ut ex uno peccato multa existant. Neque injuria dicitur, hoc peccatum esse Diaboli: quandoquidem ipse ab initio homicida fuit. Quamobrem Dei Filius Dominus noster Jesus Christus, cum sibi mortem Pharisei afferre cuperent, illos à patre Diabolo genitos esse dixit. Sed præter hæc, quæ dicta sunt, unde sceleris hujus detestandi rationes peti possunt, alia quoque remedia, & ea profectò maximè opportuna, sacrarum litterarum monumentis tradita sunt. Ac primùm omnium remedium, & maximum est, Salvatoris nostri exemplum, quod ad imitandum nobis proponere debemus. Is enim, cum ne minima quidem peccati suspicio in eum

1. Joan.
2.

Jean. 8.

cadere posset, virgis cæsus, spinis coronatus, & cruci denique affixus, eam habuit orationem plenissimam pietatis; Pater dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt. Cujus sanguinis aspersionem, testatur Apostolus, melius loquentem, quàm Abel. Alterum autem remedium ab Ecclesiastico propositum est, ut mortem, atque illum Judicii diem recorderetur. Memorare, inquit ille, novissima tua, & in æternum non peccabis: quæ sententia eodem spectat, ac si dicat: Illud sæpè etiam atque etiam cogita, brevi fore, ut mortem obeas: proinde, quia tali tempore tibi optatissimum erit, & maxime necessarium, summam Dei misericordiam impetrare, eam tibi ob oculos jam nunc, perpetuèque proponas, necesse est: ita enim fiet, ut immanis illa ulciscendi cupiditas tibi exhauriatur, cum ad misericordiam Dei implorandam nullum aptius, majusve remedium invenias, quàm oblivionem injuriarum, & amorem in eos, qui te, aut tuos re, aut oratione violarint.

NON MŒCHABERIS.

Quoniam viri, & uxoris vinculum arctissimum est, & nihil utriusque jucundius accidere potest, quàm intelligere se mutuo quodam & singulari amore diligere; contra, nihil molestius, quàm sentire à se debitum & legitimum amorem alio transferri; rectè quidem, quæ ordine illam, quæ hominis vitam à cæde tuetur, legem, hæc, quæ de Mœchia, sive adulterio est, consequitur, ut sanctam illam & honorabilem Matrimonii conjunctionem, unde magna charitatis

Luc. 23.
Hebr.
12.

Eccles.
7.

D. Ambrosius.
August.

Gen. 38.
Deuter.
23.

vis existere solet, nemo ullo adulterii scelere violare, aut dirimere audeat. Sed tamen in hac ipsa re explicanda cautus admodum sit Parochus, & prudens, & tectis verbis rem commemoret, quæ moderationem potius desiderat, quàm orationis copiam: verendum est enim, ne, dum is latè, atque copiosè nimis explicare studet, quibus solus homines ab hujus legis præscripto discedant, in illarum rerum sermonem forte incidat, unde excitanda libidinis potius materia, quàm restinguende illius ratio, emanare solet. Sed quoniam hoc præceptum multa continentur, quæ prætermittenda non sunt, ea suo loco explicabuntur à Parochis. Ejus igitur duplex vis est; altera, quæ discretis verbis adulterium vetatur; altera, quæ eam sententiam inclusam habet, ut animi, corporisque castitatem colamus. Ut autem ab eo, quod prohibitum est, docendi initium sumatur; Adulterium est legitimi tori injuria, sive alienus, sive proprius ille sit: etenim si maritus cum muliere soluta rem habet, suum ipse torum violat; si verò solutus vir alienam cognoscat uxorem, adulterii labe torus alienus inquinatur. Hoc verò adulterii interdicto omnia prohiberi, D. Ambrosius & Augustinus auctores sunt, quæcumque inhonestas sunt, & impudica. In hac sententiam hæc verba accipienda esse, ex sacris litteris tum veteris, tum novi testamenti licet colligere; nam præter adulterium, alia libidinis genera apud Moysen puniuntur. Est Jude in Genesi judicium in nurum suam. Et præclara illa in Deuteronomio Moysi lex, ne de filiabus Israël ulla esset me-

retrix. Extat præterea Tobie ad filium ejusmodi adhortatio: Attende tibi fili mi ab omni fornicatione. Ecclesiasticus item, Erubescite, inquit, à respectu mulieris fornicariæ. In Evangelio etiam Christus Dominus inquit, de corde exire adulteria, & fornicationes, quæ coinquinant hominem. Apostolus verò Paulus hoc vitium sæpè testatur: Hæc est, ait, voluntas Dei. Sanctificatio vestra: ut abstineatis vos à fornicatione; & Fugite fornicationem; & Ne commisceamini fornicariis. Fornicatio autem, inquit, & omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis; & Neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt. Præcipuè verò ob eam rem adulterium disertè vitium est, quia præter turpitudinem, quæ illi cum aliis intemperantiæ generibus communis est, injustitiæ quoque peccatum non solum in proximum, sed etiam in civilem societatem adjunctum habet. Est illud item certum, quæ sit à cætorum libidinum intemperantia non abstinet, eum ad hæc, quæ adulteri est, incontinentiam facile labi. Quare hoc adulterii interdicto faciliè intelligimus, omne impuritas & impudicitia genus, quo polluitur corpus, prohiberi: immò verò omnem intimam animi libidinem hoc præcepto vitatam esse, tum ipsius legis vis significat, tum spirituale esse constat, tum Christus Dominus docuit illis verbis Audistis, quia dictum est antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam,

Tob. 4.

Eccles.
41.

Matth.
15.

1Thess.
4.

1. Cor.
6.

1. Cor.
5.

Eph. 5.

1. Cor.
6.

Matth.
5.

jam